

39. numerum expleant, Interim supplex pandit crimina sua, pectus ad singula tundens. Ita expiatus, surgit, & coram se pronum alterum habens, quod ab ipso recepit officii, illi pariter rependit.

Ex his, quantum arbitror, satis aperte intelligitur, disciplinam fatendi singularem peccata sua coram homine, ab ipsa Apostolorum etate derivatam, qua deinde non interrupta successione ad nostram etiam etatem transmissa est. Quare non nisi verosimilia comminiscuntur, qui tradunt, confessionem criminum a S. Joanne indictam ejusdem esse cum nostra disciplina; quod pariter & Patribus, & optimis quibusque Commentatoribus persuasum est. Diserte admodum ea de re Author Operis Imperfecti in Matth. hom. 3. Confessio peccatorum est testimonium conscientia timentis Deum. Qui enim timet iudicium Dei, peccata sua non erubescit confiteri; qui autem non erubescit, non timet. S. Joannes Chrysothomus [ p ]. Tempus Confessionis aqua & lotis baptisate & illotis prophanisque incumbit: illis quidem, ut post penitentia criminum vulnera penitentia interveniente curentur, & ad sacra mysteria redire teneantur (nempe ad baptismum). His vero ut ablatis in baptisate maculis, ad Dominicam mensam mundam iam conscientiam accedant.

Grotius in eundem locum, contra Fratrum suorum opinionem de confessione dictum exponit; ait enim, in ea que viros doctos inter se committit questione, num scilicet in locis Numerorum, & Levitici, ubi de confessione sermo, de confessione agatur hominis ad Deum, sive hominis coram Sacerdote crimina accusantis sua; in ea, inquam, questione maxime probari sibi sententiam de expositis particulari confessione criminibus, non de iis tamen, que capitali pena ludenda essent a reo; in illis vero solam generatim habitam confessionem fati fuisse arbitratur. Credit autem probabilissimè idem pariter, sed majori pietate & confidentia facturos, ad Joannem Baptistam, Sacerdotem, Prophetam, ac spectate virtutis virum Judæos venisse. Remittit andem Lectores ad Maldonatum, Janfenium, Estium alioque Catholicos Interpretes in cap. 3. Math.

Quibus verbis concepta esset formula baptismi S. Joannis, quarunt Scholastici (q); est enim in Sacramentis singulis sua requirenda materia & forma, quibus veluti Sacramenti corpus compingatur. Sunt qui nullam peculiarem formam in eo baptismi adhibitam defendant, quo vel unico defectu de Sacramentorum censu ceremonia illa expungenda esset. Maluit alii (r), collatum baptismi in nomine Christi futuri, quod congruentibus multis ratiunculis fulciunt. Nec sanè certa ejus argumenta petenda sunt, cujus nihil sive in Sacra Historia sive in Scriptura legimus.

Nec Joanne vitâ sancto vel ejus Baptisate, vel ejus Discipuli, cessarunt evanueruntque. Ex illis quidam ad Jesum venientes, ejus se discipline instruendos tradiderunt, nec aliud sanè optasset Joannes, quam ut Discipuli sui

omnes ad Jesum transirent, quemadmodum satis demonstrat missa ab eo, dum in carcere detineretur, aliquando ante obitum ad eundem Jesum legatio (s). Alius visum est in annuncianda poenitentia & facile etiam conferendo baptismate perseverare; a quo scilicet munere conferendi baptismi abstinuisse Discipuli illi, Joanne superstitite, creduntur (t). Constat autem, nullum habuisse a Joanne præceptum, ut in conferendo baptismate perseverarent; norat enim mox proditurum Messiam, a quo baptismi illud abrogaretur. Verum, injusti licet, accedentes ad se abluabant, non in Judæa tantum, sed per universas insuper regiones. Ita Apollo Alexandrinus, vir doctus, & Christianæ doctrinæ studiosissimus, 20. annis post obitum Jesu Christi Ephesum venit, nihilque aliud tum temporis norat, quam baptismi Joannis (u). Plures etiam ex Ephesiis, cum eod loci Paulus Apostolus post Apollo venisset (\*), non nisi eo baptismate initiati erant, nec de S. Spiritu, qui baptismate Jesu Christi conferretur, aliquid norant.

Narrant insuper, hodie etiam in Oriente (x) audiri Discipulos S. Joannis Baptistæ, quos Sabin appellant; sed numero esse infrequenti, atque in Arabia, Perside, & secundum litus sinus Persici dispersos. Originem suam de Chaldaea retulerunt, & ex discipulis, uti quidem creditur, Zoroastri, cujus plures adhuc retinent opiniones. Porro illi baptismate S. Joannis initiati, atque dogma de Christianis doctrinis ritibusque Judaicis constantes, malè compactum Religionis corpus constituerunt, cui deinde ex commentis Mahometismi peior accessio facta est. Momen S. Joannis usurparunt, quod auctorem ritus sui dogmatis, & librorum jactitent S. Joannem Baptistam, undè & ipsi pariter gloriantur titulo Discipulorum S. Joannis. Iterant quotannis Baptisate ejusdem S. Joannis, quem unicum habent, unâ cum utroque ejus parente sanctum votis, & thure colendum. Eius Præcursoris tumulum constituunt juxta Chusler urbem Metropolitani Regni Chusistan, quem locum frequentior Sabin turba incolit; ibidemque Jordanis fontem statuunt.

Jesum Christum non quidem Dei Filium, sed tanquam Prophetam ipsumque Spiritum Dei agnoscunt; quod in ipsos ex Mahometanis derivatum non inviti credemus. Crucem venerantur ad superstitionem usque. Liber est apud illos sacer, quem Divan inscribunt; legitur in eo Deus corpore quodam constare, cujus Filius Gabriel patri suo veluti instrumentum in creatione Mundi exhibuerit. Stare pariter è nihilo iussi sunt Angeli, & Demones corpore, & sexu discreti, quibus per generationem est propagatio. Fertur moris esse apud illos consecrare panem vino, oleoque subactum, quem supplicationis quadam specie circumlatum postea degulunt.

Ex patre in filium derivata apud illos Episcoporum, & Sacerdotum successio; offerre autem pullum gallinaceum in ripa fluminis, Sacerdotale munus est; sicut & semel

p Chrysoth. in Matth. hom. 10. Vide hom. 1. 28. S. Basilii de Penitentia.

q Scot. Dist. 2. 9. 2. art. 1. Durand. Gabr. Eranc. Suarez.

r D. Thomas 3. par. 9. 38. art. 6. ad 5. Et alii multi.

s Matth. 11. 1. 2. 3.

t Cyrill. tract. 2. in Joan. cap. 57. August. tract. 5. in Joann. & l. 5. de Baptismo c. 13.

u Act. 18. 25.

\* Art. 19. 1.

x Chardin Iter Persid. t. 1. p. 307. &c. de Civili Persarum gubernatio.

ARTICULUS III.

De Baptisate Jesu Christi.

mel in anno mactari apud illos agnus narratur. Baptisate illud, quod singulis annis iteratum diximus, sive asperione sive immersione ad arbitrium, in Dei unius nomine confertur; neque enim sive Filium, sive Sanctum Spiritum aliquem agnoscunt. Connubia Sacerdotum cum virgine aliqua puella permittuntur; atque in lustrationibus legalibusque maculis eadem apud illos ferunt, que apud Judæos obtinet superstitio. Polygamiam admittunt, novaque celebratur nuptias, ambo conjuges in fluente baptizantur. Ex his omnibus, quantum arbitror, colligimus, Christianos illos neque Judæos, neque Idololatrias, neque Mahometanos reapse habendos, qui recepta forte ab exordio Christianæ veritatis semina plurimum ignorantia & superstitione corruperunt.

Calvinus, & Beza, cæterique illorum clientes (y) defendunt, baptismi S. Joannis nihil a Baptismo Jesu Christi discrepasse, ut quicumque priori ablutione mundati essent, novam deinde nullam admitterent. Utrumque enim æquè ad Jesum Christum spectasse animadvertunt, utrumque symbolum fuisse poenitentia, & remissionis peccatorum. Ab illis, quos baptismi S. Joannis initiatos nactus est, Apostolus nihil exegit aliud, quam ut in Jesum Christum fide magis expressâ crederent, quò sibi veniam peccatorum promerentur. Addunt insuper, Jesum Christum nullo alio initiatum fuisse baptismate, quam Joannis; quare si postrema ista ceremonia altera a Baptisate Christi statuenda esset, Christi nos lavacro non ablueremur.

Sed major est constituta ab Evangelio inter duo hæc Baptisate discrepantia, quam ut in unum confundantur. Primum illud aqua conferebatur, disponendis ad poenitentiam animis; secundum in Sancto Spiritu, & igne (z) datum constat. Ad hæc S. Lucas non obscure prodit, ablutos lavacro S. Joannis, novo iterum baptismate expiatis fuisse: His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu (a). Nec sanè nisi per summam impudentiam Textus ille verteretur, quemadmodum ab illis præstitum est: Et audientes, ( Joannem Baptistam ) receperunt ( ab illo ) Baptisate Domini Jesu. Adventum Messie prædicasse Joannem tam certò constat, quam collatum ab illo in nomine ejusdem Messie baptismum ambiguum est, & incertum. Sophisma est autem, quod ab illis constatur argumentum, nimirum non recipere nos Baptisate Jesu Christi, si altero lavacri genere, ac ille, abluimur. Fatemur enim nos altero initiatos esse baptismate; sed illo tamen abluti sumus, quod Jesus Christus instituit, inunxitque. Neque enim, ut baptismi Joannis reciperemus, sive factâ alicujus promissionis spe, sive præcepto aliquo iussit; inunxit tamen, ut secundo illo tingeremur, fidem suam obligans, omnia se nostra crimina condonaturum (b).

yVide Calvin. & Beza in Act. 19. 4. 5. Ligfoot. alios.

z Matth. 3. 11.

a Act. 19. 4. 5.

b Matth. 28. 19. Marc. 16. 16.

Non differtatione singulari, sed pluribus opus esset voluminibus, siquidem omnia discutienda essent, quæ ad baptismi a Jesu Christo institutum pertinerent. Ne latius etiam eo in campo spatiamur, prohibent, quos nobis præscripsimus, angustiores hujus lucubrationis limites. Sat igitur habebimus, si circumstantias discusserimus baptismi, quo a Præcurfore Jesus Christus ablutus est; in examen pariter revocantes verba illa ejusdem viri sanctissimi ad Christum: Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni (c). Hunc differtationi nostræ modum constitimus, ne à Textu S. Matthæi, quem suscepimus exponendum, longius abducamur.

Confluentibus undique ad baptismi S. Joannis turbis, ambigentibus etiam nonnullis, num venisse promissum Messiam in Viro illo crederent, venit pariter ad ejus baptismum Jesus. Quem vix prospiciens Joannes, tingere illum recusavit, dicens, se potius ab illo baptizandum. Cui Jesus absteret dixit, ad se enim pertinere omnem implere justitiam; tum aqua fluente ingressus, ad sacram se ceremoniam comparabat. Sed ecce, quo loco peccatorum suorum exomologesim cæteri faciebant, ille vix aquis manu Joannis demersus, dum ex aqua ascenderet, hinc supra se Coelum spectavit. Tum & descendere visus supra ejus caput in columbæ specie Spiritus Sanctus, atque audita subita de Coelo vox: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui [ d ]. Ita factum est, ut specimen illud humilitatis in argumentum laudum ex testimonio Joannis Baptistæ, in admirationem turbarum, in gloriam tandem Jesu Christi ex Dei Patris majestate, & Spiritus S. plenitudine verteretur.

Dubitarunt alii (e), num S. Spiritus in columbæ speciem super Jesum descenderit, cum Textus habeat tantummodo: Vidit Spiritum descendentem, sicut columbam, i. e. rapidè & impetu quodam descendentem instar columbæ, rapidè, si quæ alia avis, volitantis. Maluerunt alii (f), vorticem quemdam flammarum instar columbæ capiti Jesu descendenti ex aquis infedisisse, quemadmodum simili flammarum specie Spiritus S. in Apostolos die Pentecostes illapsus est. Univerfa tamen antiquitas [ e ] de columbæ ave Textum illum interpretata est, de columbæ, inquam, advolitante, quam præfens quisque inspexerit. Descendit illa veluti è cava quadam nube fulgur, tanto omnia illustrans splendore, ut Cœli ipsi, juxta Evangelistæ phrasim, hinc viderentur. Moribus enim positum est vulgò, ut cum subitus aliquis fulgor, vel emissus è Cælo fulmen oculos perstrinxerit, ipsi pandi Cœli dicantur (h).

Non defuisse etate suâ aliquos, qui crederent, S. Spiritum columbæ corpus assumpsisse, quemadmodum Jesus Christus humana-

c Matth. 3. 11.

d Matth. 3. 17.

e Hammond. Le Clerc. Bochart. Ligfoot. Brug.

f Grot. Vide & Bochart.

g Tertull. de carne Christi, August. de Agone Christiano c. 22. Justin. Dialog. cum Tryphone, Origen. D. Thomas.

h Vide Aurbor. Oper. Imperfect. Hieronym. hic, & in Ezechiel. Maldon. Spanb.



manos artus induerat, insinuare videtur S. Augustinus Tract. 99. in Joannem: Qui ergo dicit, columbam ad unitatem persona Spiritui S. fuisse conjunctam, ut ex illa & Deo una Spiritus S. persona constaret, &c. Candenti nitore fulsisse columbam illam legunt Lactantius, & vetera quaedam Græca Exemplaria. Verum ex duobus hisce opinionibus prior, quæ S. Spiritum columbam sibi in societatem personæ assumptis se autumat, audacior est, quam ut refutatione falsitatis revincti meruerit.

S. Justinus Martyr veteri facile traditione instructus, docet, super ipsas amnis aquas ignis quandam speciem emicuisse (i); & de eodem Christi baptismo hac in Nazaræorum Evangelio leguntur (k): Factum est autem, cum ascendisset Dominus de aqua, descendit fons omnis Sancti Spiritus, & requievit super eum, & dixit illi: Filii mi; in omnibus Prophetis expectabam te, tu es enim requies mea, tu es Filius meus primogenitus, qui regnas in sempiternum. Evangelium Ebionitarum, ipsum planè Opus ac Evangelium Nazaræorum vel Hebræorum, habet (l): Vidit Spiritum Sanctum columba specie descendentis, & eo in loco lux ingens affulsit. Paria legas in Liturgia Syrorum, ubi de eodem baptismo fermo. De igne eadem occasione emicante, simile legas testimonium in opere apocrypho de prædicatione S. Petri (m). Vetus M. S. Germani Præsentis hæc habet: Et cum baptizaretur, Jesus lumen magnum fulgebat de aqua, ita ut timerent omnes qui congregati erant &c. (n). Juvenius Presbyter, qui sub Constantino florebat, eadem in carmine suorefert:

l Apud Epiph. heref. 30. n. 13.

m Citatur in tractatu de baptismo hæreticorum inter Opera Cypriani. n Apud Martianaum nov. edit. Evangel. secundum Matth.

† Hieron. sed alius Author Comment. in Bal. 76. 17. Et tempore quo Deus locutus est, hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacuit, facta est vox tonitruum rota similis. Vide Euthym. & alios in Ps. 38. 3. & Hammon. hic. o Exod. 20. 18. p Jo. 12. 29. q Act. 9. 7.

r Act. 22. 9.

lationem traditionis, quam Moyfi in monte Sinai inter media tonitrua & fulgura factam constituunt.

Porro hæc, quæ de fulgure, tonitribus, voce Patris & illapsu S. Spiritus in columba specie narrantur, egregie cum illo S. Joannis oraculo coherent: Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni; i. e. sicut ego vos in aquis immergo, ut ad recipientem criminum expiationem disponam; ita pariter S. Spiritus fluente in vos derivabit; sacrisque vos ignibus incendet, quod Joelis 2. 28. illud impletur: Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filie vestra; & senes vestri somnia somniant, & juvenes vestri visiones videbunt. Sed & super servos meos & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.

Quid baptisma S. Spiritus designet, inter Veteres Recentioresque satis convenit. Docent nimirum illi unâ sententiâ per baptisma ritè susceptum S. Spiritum in corda Fidelium illabi; cujus deinde Spiritus plenitudinem Sacramentum Confirmationis in nostra pectora derivet. Lavacro baptismatis mundamur, & ad puriorem sanctamque vitam innovamur; Confirmatione perficimur, & in accepta gratiâ stabilimur, novo pariter robore aucti, quod & adversariis salutis omnibus resistamus, audacterque Dei nomen confiteamur. Sed de baptismo ignis varii varia sentiunt.

Manere nos Baptismo ignis die Judicii docet S. Hilarius in Ps. 118. num. 5. & 12. Cum enim aqua lavacrum eximie morum puritati conferenda, qualis ad ingressum Regni Cœlorum exigitur, impar habeatur, quidquid reliquum fuerit foridum absterget ignis Judicii, quo veluti scoriâ purgati, Cœlo digni inveniamur. In ipso Paradisi limine ministrandum Baptisma illud arbitrat S. Ambrosius in Psal. 118. 11. 12. 13. 14. 15. in limine enim hujus Paradisi constituit ille gladium ignis, quem Gen. 3. 24 postum legimus in ipso Paradisi terretis aditu post commissum ab Adamo crimen. Machæram illam stringet S. Joannes Baptista, eiusdem ignei baptismatis minister. Porro lex illa mortalibus omnibus indicta, neminem eximet, ut ipse S. Petrus, S. Joannes, alique viri SS. illius rigorem pro merito gestorum suorum fuerint experti. Clamabit elatâ voce Præcursor iis, quibus non nisi levia quædam errata manent expianda: Intrate, qui presumpistis, qui ignem non timetis. Transibunt illi per medium ignem, nullum doloris sensum experti; quidquid enim in illis scoriæ fuerat, ignis charitatis jam absorberat.

Origenes (s) & Lactantius 1. 7. c. 21. in ipso Cœli aditu ignem statuentes per medias flammâ transitum omnibus arbitrantur manere; facti tamen viris sanctis privilegio, ut illesi, quin & viam dantibus flammis traducantur. Observat idem Origenes hom. 24. in Luc. Jesum Christum in ripa fluminis ignei stantem obvios baptizatum; non tamen indiscriminatim omnes; qui enim aquæ & Sancti Spiritus baptisma

s Hom. 3. in Ps. 36. & hom. 24. in Luc.

\* Hom. 5.

x Cyrill. Catech. 17. Hieron. hic, alii.

y 1. Vide Nov. Test. edit. Mil. lii in Matth. 3. 11. & Proleg. 690. 1098. & 1177.

fisma nullum unquam receperint, qui cepto abrenuntiaverint, illos à secundo hoc baptismo, adeoque & beatitudine, quod per ignem aditus, excludet; nisi forte eâ morum sanctitate nituerint, ut nullo indigere piâminè deprehendant. Namque, ait, si quid remanet sive ligni, sive paleæ, sive fœni, per ignem redigendum est (t).

t Idem hom. 2. in cap. 2. Jerem. u Vide & Greg.

S. Hieronymus in Matt. 3. 11. (u) duas refert interpretationes in illud S. Joannis: Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni; sive enim, ait ille, ignis nomine S. Spiritus designatur, qui flammearum linguarum specie assumptâ super Apostolos delapsus est die Pentecostes; sive nos in hoc mundo Baptismo Spiritus abluti, in altera vita igneo expiandi fumus. Quibus verbis non obscure insinuat Veterum illam opinionem, supra à nobis relata. Porro hæc de igne alterius vitæ, Origenis, S. Ambrosii, S. Hilarii & S. Hieronymi opinio est illis Apostoli 1. Cor. 3. 13. 14. 15. repetitur: Si quis superedificat super fundamentum hoc (Jesu Christi) aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam; uniuscujusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit, quia igne revelabitur, & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit quod superedificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit quasi per ignem. Hunc ignem Patres posteriorum sæculorum & Scholastici Purgatorium appellarunt.

Author Operis Imperfecti in Matth. Hom. 3. ignis nomine reddidit ærumnas, mala, tentationes, quibus viros pios Deus in hoc mundo exercet. Observat ille, Jesum Christum aquâ Baptismatis lotum esse S. Joannis ministerio; Baptismo S. Spiritus operâ Patris Æterni; ac tandem ignis in iis, quæ Spiritus mali invidia toleravit in deserto (\*). Contraria omnia placent S. Joanni Chrysofomo Hom. 11. in Matth. cui ignis est redundans gratiarum, bonorum, & supernaturalium voluptatum affluxus. De igne Inferni reddunt S. Basiliius contr. Eunom. lib. 5. & Theophylus Antiochenus lib. 1. Malunt alii, designari à S. Joanne illapsum S. Spiritus ignearum linguarum specie super Apostolos [\*], quam posteriorem sententiam probant Commentatores.

Irrepisse in Textum hanc voculam igni aliqui suspicantur; neque enim legitur sive in S. Marco 1. 8. sive in S. Joanne 1. 33. extat tamen Luc. 3. 16. unde in Textum S. Matthæi derivatum autumat. Constat sanè deesse in plurimis Mss. S. Matthæi (y). Omittitur pariter in editione Complutensi. Vicissim tamen legitur in Syriaco, Coptico, Arabico, Persico, Æthiopico, in S. Cypriano, Hilario, Origene, aliisque Patribus; & quando à S. Matthæo abesse, constantè tamen retinendus esset, nemine ambigente, in S. Luca. Quare integra maneret difficultas; neque enim minus ad fidem valet S. Luca, quàm S. Matthæi autoritas.

Ignis nomine exorcismos Baptismo præcedentes designatos autumat S. Augustinus in Psal. 55. 11. 12. Unde plerumque, ait, immundi Spiritus clamant: Ardeo; si ille ignis non est? Post ignem autem exorcismi venit ad Baptismum. Priorem aliam interpretationem seatur alibi, docens ignis nomine mala in hoc mundo à Fidelibus tolerata designari; vel ipsum Spiritum, qui ignis symbolo assumptio super Apostolos illapsus corda illorum charitate incendit [z].

z Idem Serm. 71. de Verb. Apost. Matth. n. 19.

Veterum nonnulli verba Textus ad literam usurpantes, jungendum ignem aquæ in Baptismo autumant; quod præstitum à nonnullis Hæreticis priorum sæculorum memoriâ proditum est. Narrat S. Clemens Alexandrinus ex Heracleone, obruisse apud quosdam, ut candens aliquod ferrum auribus baptizati applicarent. Idem de Æthiopicis nostræ ætatis testatur quidam (a), baptizatos nempe apud illos tribus candenti ferro impressis stigmatibus in naso, inter oculos & ad utraque tempus inuri. Ancipiti ferro ad eam rem uti refert P. Eugenius Rogerius, quod, ait, ad tria illa loca applicant. Idem præstitum fertur à Christianis Jacobitis in Oriente, qui pueros Baptismo & Circumcisione initiat, ac tandem candenti ferro adurunt in fronte.

a Leo Rauhboldf. Itin. Orient. 1. 3. c. 17. Paul. Jov. hist. 1. 18. & alii.

Verum D. Abbas Renaudot (b), in ritibus & ceremoniis Orientalibus, si quis alius, instructissimus, ad fabellas deputandum contendit quidquid de Baptismo per ignem collato apud illas gentes vulgatum est; & D. Ludolfus fatetur, nihil se eâ de re audisse à Gregorio Æthiopo, quem consuluit, neque legisse quidquam in relationibus Patrum Jesuitarum. Vicissim tamen observat, receptum esse apud Africanas gentes tam Paganas quàm Mahometanas, ut adversus punitam & gravidam recens natos pueros præmuniant, tempora vel carotides venas cauterizantes. Idem apud Abyssinos obtinet, unde facta asserendi ansa hæc ab illis ceremoniam, tanquam religiosam servari.

b Peperuit. tom. 14. c. 10. pag. 84.

Memoriâ proditum est (c), Seleucianos Hermæque sectatores Baptismo igne contulisse; incertum tamen quomodo. Tertullianus sive alius quidam sub ejus nomine (d), de Valentino refert, eos, qui in suas partes transissent, iterum baptismati subjecisse hoc ritu.

c August. heref. 59. Philastr. de heref. capp. 55. 56. 57. d Carm. in Marcon. 1. 1.

Bis docuit tingui traducto corpore flammâ.

Quibus obscuris verbis non satis insinuatur, an per ignem transilirent, an inter duos hinc inde incensos ignes mediâ transire juberentur; utrumque enim in illustrationibus Paganorum obtinuisse scimus (e). Vetus quidam Author libri de Baptismo Hæreticorum adversus S. Cyprianum, eorum commentum refutat, qui tenent, in baptismo conferendo aquam pariter cum igne jungi oportere (f).

e Moxque perardentes stipula crepitantis acervos Trajicias celeri strenua membra pede. Omnia purgat edax ignis.

Post hæc omnia testimonia vix aliquis restat ambigendi locus, non defuisse inter veteres Hæreticos nonnullos, qui verba S.

f Concilior. 10. 1.